

78. Dixi *directam*, nam indirecta probatio potest proponi contra præsumptionem, quæ in eo consistit, ut demonstretur personas præsumptive contrahentes ligari aliquo impedimento dirimente. Probata existentia impedimenti, stante etiam in suo robore præsumptione, matrimonium valide non contrahitur. Veruntamen matrimonium præsumptum fuit sublatum a Concilio Trident. in *cap. 1. sess. 24. de Ref. matrim.*, in quo decrevit solemnitatem substantialem contractus conjugalis. Irritum scilicet et nullius valoris declaravit esse matrimonium, quod non fuisset deinceps contractum coram Parocho, et duobus testibus. Hæc autem dispositio valet in locis in quibus facta est publicatio decreti ejusdem. In aliis vero locis adhuc valet dispositio juris antiqui, juxta quam matrimonia clandestina sustinentur, ac proinde valet etiam matrimonium præsumptum.

79. Hac tamen in re præ oculis habenda est *Instructio S. Congregationis de propaganda fide, diei 17. Januarii 1821* pro Vicariis apostolicis imperii Sinensis duo dubia proponentibus.

In responsione ad primum dubium S. Congregatio exhibet theoriam a nobis superius expositam. Videlicet si duo sponsi animo fornicario copulam habeant, præcedentia sponsalia in foro conscientiae et coram Deo non transeunt in matrimonium. Si autem copula hæc probatur in foro judiciali externo, sponsi poterunt ab auctoritate ecclesiastica adigi ad sese habendos uti conjuges, ita ut vivente uno consorte alter non possit ad alia vota transire, juxta *cap. 30. de spons. et matrimonio*.

Ad 2^{um} dubium respondit, si quis fidelium post sponsalia et subsequentem copulam, publice matrimonium cum altera muliere contrahat, et accedat ad tribunal pœnitentiæ, missionarius debet pœnitentem interrogare, an copula cum prima muliere fuit habita ex affectu maritali, vel ex affectu fornicario. In hoc secundo casu nullum dubium missionarius movebit pœnitenti de valore præsentis matrimonii. In primo autem casu graviter monebit pœnitentem de onere redeundi ad primam mulierem, quæ est vera ejus uxor. Immo si pœnitens nequeat probare in foro externo factum copulæ cum priore muliere, et ab auctoritate ecclesiastica cogatur convivere cum secunda; non potest ipse carnale commercium exercere cum hac secunda muliere, sed potius humiliter ferre debet pœnas, et ipsam excommunicationem si forte infligantur. *Cap. 41. de Sent. Eccom.*

80. Quæstiones quædam solvendæ sunt quæ naturam matrimonii melius patefaciunt.

Ad substantiam matrimonii requiritur mutua traditio et acceptatio juris in corpora. Hæc autem mutua traditio debet exprimi per consensum mutuam. Hinc consensus mutuus necessarius est, et debet sufficienter exprimi exterius per verba vel signa. Quid vero dicendum si verba vel signa exprimant consensum sed tamen consensus internus seu animi adhæsiō non adest?

Profecto matrimonium non adest. Nam consensus verus et sincerus deest, si solummodo in verbis et non in animo consistat. Quid vero de hac re canonice sentiendum sit deprehenditur ex *cap. 26. h. t. 'Tua nos duxit'*. Quidam cum non posset pertrahere ad turpia puellam, finxit se illam ducere velle in uxorem eique absque ulla solemnitate et absque ullo teste dixit: 'Joannes te desponsat', cum ipse revera Joannes non vocaretur. Secutum est inde carnale commercium; deinde vir pertæsus conversationis cum illa, adiit Episcopum eique exposuit se non vocari Joannem, et ficto animo matrimonium contraxisse.

Episcopus exposuit speciem Romano Pontifici, qui animadvertit mutationem nominis non officere validitati matrimonii. Nam vir in propria persona contraxerat cum puella. Solum potuisset officere fictio. Idest, ait Pontifex, si probari posset non interfuisse verum et sincerum consensum, utique matrimonium invalidum erit. At nescio, ait Pontifex, quomodo potuisset id constare Episcopo, cum nullus adesset testis, et cum verba prolata a Joanne consensum ipsum verum ac sincerum exprimerent. Igitur ut matrimonium nullum declararetur, necesse erat probare fictionem interfuisse; secus pro valore matrimonii judicandum erat. Quare ex hoc capite infertur consensum fictum non sufficere in contractu conjugali, sed præsumi semper in foro externo verum et sincerum consensum esse illum, quem exprimunt verba contrahentium, donec contrarium probetur.

81. Hic autem consensus verus et sincerus est prorsus personalis, idest concipi et exprimi debet ab ipsis contrahentibus. Hinc non tenet matrimonium contractum a parentibus, licet filii præsentés tacuerint. Electio enim status perpetui tale est negotium, quod requirat consensum positivum, ita ut sola taciturnitas nequeat haberi ceu signum certum voluntatis interioris. Neque nimis urgenda est paritas matrimonii cum sponsalibus, quæ juxta

cap. un. *De despons. impuberum in VI.*, sustinentur si a parentibus contrahantur pro filiis presentibus et tacentibus. Non enim est eadem indissolubilitas sponsalium et matrimonii. Parentes utique poterunt disponere et preparare pro filiis statum conjugalem, filiorum vero erit statum ipsum figere et acceptare. Proinde præsumptio consensus quæ agnoscitur a jure in negotio sponsalium, non invenitur extensa et applicata contractui matrimonii. Hinc si parentes pro filiis contrahere matrimonium contenderent, agerent extra limites patriæ potestatis, et filii non tenerentur assensum præbere. Nec per consequens filii tacentes præsumi possunt consensum præbuisse.

82. Quæritur utrum ad valorem matrimonii filiorum familias requiratur tanquam essentielle elementum consensus parentum?

In cap. 12. t. 31. lib. 3. *De Regul.* ait Clemens III. puellam in ætate nubili constitutam in electione propositi liberum arbitrium habere, neque cogi posse ad sequendam voluntatem parentum. Ex hujusmodi principio sequitur neque jure antiquo fuisse requisitum consensum parentum, ut filii familias valide contraherent matrimonium. Quidquid vero sit de jure antiquo, certum nunc est ex dispositione Conc. Trident. in cap. I. sess. 24. *De Reform. matrimonii*, valere matrimonia filiorum familias, contracta invitatis et reluctantis parentibus, quamvis *ordinarie* requiratur consensus parentum ex honestate, ita ut ab Ecclesia reprobentur, ceu illicita conjugia contracta a filiis familias, parentibus *rationabiliter* adversantibus.

83. Sciendum siquidem est oratores Regis Gallorum a Patribus Conc. Trid. duo expostulasse, 1^o. ut declararentur irrita matrimonia clandestina; 2^o. ut declararentur pariter irrita matrimonia filiorum familias, contracta absque consensu parentum. Concilium in cit. c. 1. sess. 24. *De Ref. Matrim.* accepit primam petitionem, secundam vero non accepit, scilicet non declaravit invalida matrimonia filiorum familias celebrata contra votum parentum. Et merito. Quamvis enim judicium parentum plurimum sit attendendum a filiis in electione status perpetui, ac proinde habeantur uti illicita matrimonia filiorum familias, quando rationabiliter parentes adversantur, tamen semper verum est, electionem hujus status debere esse factum personale ipsorum filiorum, et licet mala prævideri possint ex conjugii filiorum contractis, parentibus contradicentibus, tamen majora mala præviderentur secutura ex matrimoniis, quæ

contraherentur sub imperio alieno, quamvis hoc imperium esset voluntas ipsorum parentum. In conjugii enim ubi vinculum dirigitur ad mutuam amorem, et ad animorum conjunctionem, consensus ipsorum contrahentium est essentialiter attendendus.

84. Quæritur utrum per alium possit hic consensus præstari; utrum nempe per procuratorem matrimonium possit contrahi?

Juxta cap. ult. *De Procurat. in VI.*, matrimonium contrahi potest per procuratorem, nam in hac re imitatur naturam reliquorum contractuum in quibus contrahens potest per alium consensum præbere. Verum visum est doctoribus, matrimoniis per procuratorem contractis non favorem assistere sed potius odium juris obstare, quare magna in iis adhibenda est cautela. Hinc ipsum jus nonnullas condiciones ponit.

85. 1^o. Requiritur speciale mandatum tum in ordine ad ipsum negotium explendum, scilicet ad contrahendum matrimonium tum etiam in ordine ad personam cum qua vult contrahi conjugium.

86. 2^o. Requiritur ut procurator *per seipsum* mandatum exequatur. Procurator igitur non potest subdelegare aliam personam in suo officio, nisi hæc facultas sit eidem tributa in mandato. Præsumitur enim electam fuisse industriam personæ determinatæ.

87. 3^o. Requiritur ut mandatum in sua virtute permaneat usque ad momentum celebrationis contractus. Ratum enim mandatum potest revocari, ita ut matrimonium contractum a mandatario dissentiente mandante nullum sit, licet revocatio mandati seu dissensus non innotuerit mandatario. Ratio est quia matrimonium contrahitur per consensum de præsentem, idest requiritur consensus actu, quo matrimonium contrahitur. Revocatio autem non intimata procuratori debet probari, quare revocatio hæc fieri debet coram testibus. Posita autem revocatione mandati, matrimonium contractum a procuratore invalide non potest reddi validum ratihabitione, quæ in aliis contractibus supplere potest actum celebrationis contractus. Nam indoles propria matrimonii talis est, ut consensus utriusque partis debeat esse uno contextu emissus. Matrimonium enim est sacramentum, quod vel actu conficitur, vel nullum est et nova celebratione indiget.

88. Ob allatam rationem mutui consensus de præsentem tenendum est neque quoad aliquos effectus valere matrimonium contractum a mandatario pro mandante præmortuo. Contractus enim matrimonii ceu actus præsens non retro trahitur ad diem mandati.

89. Quæritur utrum in matrimonio in concreto spectato, quodque inter Christianos sit celebratum, distingui possit ratio contractus a ratione sacramenti, ita nempe ut dari possit aliquod matrimonium fidelium, quod valeat ceu contractus et tamen non sit sacramentum.

90. Resp. Ex quæstione ita proposita quisque videt in ea non quæri utrum in *abstracto et logice* ratio contractus in matrimonio secerni possit a ratione sacramenti, sed quæstionem ipsam esse prorsus concretam; utrum nempe existat vel existere possit aliquod matrimonium fidelium validum, quod non sit simul sacramentum.

91. Vasquesius et alii affirmativam sententiam propugnarunt. Eorum opinio innitebatur præsertim capiti 2º. *De clandest. despons. et cap. 1º. sess. 24. de Reform. matrim., in Tridentino.* In istis enim locis traditur, matrimonia fidelium clandestina, idest contracta absque ulla benedictione sacerdotali, et absque ritu religioso, fuisse utique recognita ab Ecclesia uti valida, et rata fuisse, verum fortiter reprobata. Cur vero, ajunt Doctores isti, matrimonia hujusmodi reprobata fuerunt, nisi quia non erant sacramenta?

92. Verum contra sentiendum est cum communi et certa sententia. Si enim attendamus ad conceptum matrimonii Christiani, habemus Christum Dominum penes Matthæum XIX. revocasse matrimonium ad primævam suam institutionem. Videlicet Christus Dominus fecit esse sacramentum illud ipsum matrimonium quod antea fuerat legitimus contractus naturalis. Ubi ergo inter fideles desit sacramentum deest etiam legitimus contractus.

93. In hoc insuper est constans loquendi ratio sacrorum canonum, ut nempe dicant, ipsum matrimonium christianum esse sacramentum, et Christum Dominum promeruisse gratiam, quæ sanctificaret amorem naturalem conjugum, et firmaret indissolubilem unitatem. Ita Trid. *sess. 24. De Reform. matrim.* in expositione doctrinæ de sacramento matrimonii.

Quod vero attinet ad rationem adversariorum, possumus ex ea inferre secundum argumentum pro nostra sententia. Et sane in cap. 2º. *De clandest. despons.* traditur matrimonia clandestina quæ ab istis conjugibus manifestantur, perinde habenda esse, ac si fuissent primitus coram Ecclesia celebrata, idest inter matrimonia rata recensentur. Conc. vero Trid. in cit. cap. 1º. sess. 24.

de Ref. matrim. explicite uti rata habet matrimonia clandestina, ante suum decretum contracta, scilicet matrimonia quæ fuerunt inita absque ritu religioso et sacerdotis assistentia. Jam vero in sensu canonum matrimonium ratum idem est ac sacramentum. Igitur matrimonium clandestinum ante Concilium Trident. eo ipso quod erat contractus, idest absque etiam cærimonia religiosa, erat pariter sacramentum.

94. Probanda est minor propositio. Ita autem probatur: in *cap. 7º. lib. 4. tit. 19. De divortiis* proposita fuit Innoc. III. quæstio, utrum in casu quo conjux in hæresim laberetur, et vellet pacifice et sine contumelia creatoris cum altera parte, quæ in fide permansit, cohabitare, posset hæc pars fidelis ad alia vota transire. In favorem partis fidelis proponebatur privilegium fidei, quod juxta Apostolum Paulum competit fidelibus conversis ex infidelitate. Verum Innocentius respondit, partem quæ in vera fide permansit, non posse novas nuptias inire. Et quidem ratio privilegii concessi fidelibus conversis ex gentilitate militabat etiam in casu nostro, ut scilicet ex vera fide, quam quis profitetur, non debeat immutationem pati in iuribus suis. Cur ergo in casu hæreseos unius ex conjugibus non potest alter novum matrimonium contrahere in similitudinem fidelis illius, qui ab infidelitate conversus est? Unica ratio ab Innocentio adducitur ex diversitate vinculi matrimonii contracti in Ecclesia, a vinculo matrimonii contracti in infidelitate. Nam ait Innocentius vinculum matrimonii contracti inter fideles fortius est præ illo matrimonii infidelium, eo quod matrimonium infidelium est solummodo legitimum, e contra matrimonium fidelium est ratum seu sacramentum.

Igitur matrimonium quod est *ratum*, est etiam *sacramentum* et proinde matrimonia clandestina quæ rata dicuntur sunt etiam sacramenta. Et merito; nam posito quod Christus voluerit matrimonium esse unum ex septem sacramentis, absonum prorsus fuisset, ut Ecclesia reciperet ut rata matrimonia quæ non essent sacramenta. Ergo matrimonia fidelium eo ipso quod sint legitima debent esse sacramenta, licet contracta fuerint absque ritu sacro, absque sacerdotis benedictione.

Non est ergo sacramentum quædam qualitas supernaturalis, quæ ex benedictione sacerdotis accedat contractui conjugali jure valide posito, sed est proprietas inhærens ipsi contractui legitime celebrato.

95. At ex adverso adverti potest: si matrimonia clandestina erant sacramenta, cur Ecclesia vehementer eadem reprobavit?

Respondeo: ob malos exitus quos solebant habere, et eo quod fideles eadem celebrantes videbantur contemnere ritus et præscriptiones canonicas, non autem quia non essent sacramenta.

96. Tertium argumentum infertur ex aliis locis juris. Omitentes literas apostolicas Pii VI., Pii VIII. et Greg. XVI., commemoramus solum literas apostolicas Pii IX., directas ad Regem Sardiniae die 9^a. Sept. a. 1852, et allocutionem consistorialem diei 27. Sept. ejusdem anni, quæ incipit '*Acerbissimum*' in quibus expresse docet Pontifex inter fideles legitimum matrimonium non dari, quod non sit pariter sacramentum. Unde in Syllabo edito die 8. Decembris a. 1864 damnata recensetur propositio sub n. 66 quæ ita se habet: '*matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.*' Neenon damnata est propositio 73 quæ ita legitur: '*Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur.*' Igitur ex sensu contrario harum damnatarum propositionum potest inferri, veram esse et retinendam doctrinam, quæ tenet in concreto, rationem sacramenti matrimoniorum Christianorum non esse separabilem a ratione contractus. Hinc adversa sententia modo nec uti vera sententia, nec uti probabilis haberi potest. Accedunt literæ Encyclicæ Leonis XIII. '*Arcanum*', in quibus hæc sententia expresse rejicitur.

97. Ex doctrina superius exposita sequitur non sacerdotem sed ipsos contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii. Nam ipsi ponunt et verbis vel signis exprimunt consensum, contractum legitimum celebrant, in quo ratio sacramenti residet. Hinc si sacerdos post dispositionem Tridentinam de præsentia Parochi solummodo præsens sit, et intelligat voluntatem manifestatam a contrahentibus, licet sit ipse invitus et nullum verbum proferat sustinetur matrimonium, scilicet est ratum et proinde sacramentum.

98. Ex theoria superius a nobis propugnata sequitur etiam ad Ecclesiam pertinere potestatem ea decernendi, quæ spectant ad vinculum matrimonii, sive quoad causas matrimoniales idest quæ vinculum conjugale respiciunt, sive quoad impedimenta præ-

sertim dirimentia. Nam cum ratio contractus in matrimonio christiano non secernatur a sacramento, potestas Ecclesiastica, non autem potestas civilis erit, quæ decernet, quænam sit materia apta matrimonii, et quæstiones definiet, quæ ipsum valorem contractus respiciunt seu judicabit utrum necne elementa sacramenti posita fuerint. Sit

I.

De potestate Ecclesiæ in causis matrimonialibus.

99. De istis causis ita decernit concilium Tridentinum in can. 12. sess. 24. *de Reform. matrimon.* Si quis dixerit '*causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos. A. S.*'

100. Janseniani et regalistæ, ut censuram concilii effugerent, non dubitarunt asserere 1^o. nomine judicum ecclesiasticorum venire posse ipsos principes christianos, qui sacra potestate inter fideles gaudent; concilium vero non designare quinam in specie essent judices Ecclesiastici. Ita Launojus in opere *De regia in matrimonium potestate.* 2^o. Adnotarunt Tridentinos Patres non determinasse originem potestatis judicum Ecclesiasticorum, ac proinde dixerunt potestatem in causis matrimonialibus decernendis posse competere judicibus ecclesiasticis ex indulgentia et concessione principum laicorum; 3^o. tandem adnotarunt concilium non exclusisse participem potestatem principis et Ecclesiæ, in rebus matrimonialibus.

101. Hanc theoriam in hisce tribus animadversionibus expressam, suam fecit Pseudo-Synodus Pistoriensis a. 1786. Eam vero expresse reprobavit Pius VI. in epistola quam in forma Brevis misit ad Episcopum Mojulensem die 17. Sept. 1788. Adnotat vero Pontifex primam animadversionem Jansenistarum et regalistarum esse prorsus captiosam. Ubi enim agitur de causis matrimonialibus, ad solos judices ecclesiasticos spectat earum decisio. Nam contractus ipse matrimonialis est inter Christianos unum ex septem Sacramentis evangelicæ legis. Hinc consequitur pariter judicem laicum, quoad validitatem vel nullitatem matrimonii, nihil posse decernere. Ex qua animadversione Pontificis refutatur secunda et tertia adnotatio adversariorum. Si enim judicibus Ecclesiasticis competit munus decernendi causas matrimoniales, eo quia contractus matrimonialis fidelium est Sacramentum, liquido descendit Ecclesiam auctoritate propria, et non aliena et derivata

a principibus civilibus, hoc munus habere decernendi causas matrimoniales. Descendit etiam non posse principes laicos concurrere cum iudicibus ecclesiasticis, in definiendis causis ecclesiasticis, quæ excedunt limites potestatis civilis.

102. Quare Pius IX. in literis apostolicis '*Ad Apostolicæ*', diei 2. Aug. 1851, et in allocutione consistoriali 27. Sept. 1852 condemnavit hanc propositionem: '*Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.*' Ita refertur in Syllabo a. 1864 sub. n. 74. quæ propositio ex sensu contrario aperte excludit concursum potestatis civilis in causis matrimonialibus, quæ proinde pertinent exclusive ad potestatem Ecclesiæ.

II.

De potestate Ecclesiæ constituendi impedimenta præsertim matrimonium dirimentia.

103. Diximus secundo loco ex exposita superius doctrina descendere, Ecclesiæ potestati jure proprio et exclusivo competere facultatem constituendi impedimenta, quæ præsertim dirimentia dicuntur, scilicet, quæ ipsum vinculum et valorem contractus respiciunt. Cum enim in christiano matrimonio ipse legitimus contractus sit realiter sacramentum, ipse contractus est res sacra, et ab ea auctoritate ordinabitur, quæ res sacras ordinat et disponit. Scilicet Ecclesia, cui commissum fuit a Christo regimen animarum et administratio sacramentorum, jure suo, et exclusivo determinabit condiciones, quibus personæ fideles reddantur idoneæ ad legitimam celebrationem conjugii.

104. Hinc a primis etiam sæculis, Ecclesia impedimenta posuit dirimentia, quin ullam relationem exprimeret ad societatem civilem, immo inter christianos habita fuerunt ut illegitima matrimonia contracta solummodo juxta leges imperiales. Id referunt S. Justinus Martyr, in *Apologia majori n. 15.*, et Athenagoras in *Orat. pro Christianis nn. 32. 33.* Hinc etiam videmus Ecclesiam ex legibus imperialibus nonnullas fecisse suas et adoptasse, alias vero expresse reprobasse; ex. gr. legem Constantini relatam in *Codice Theodosiano in tit. De Repudiis*, in qua definiuntur crimina ob quæ solveretur matrimonii vinculum.

105. Tandem exemplum exclusionis potestatis civilis, in impedimentis constituendis quoad matrimonium, nobis dedit concilium Tridentinum, cum petentibus oratoribus regis Galliæ, ut statueren-

tur duo impedimenta, scilicet clandestinitas et dissensus parentum, admisit quidem clandestinitatem, respuit vero parentum dissensum. Quare in parte dogmatica sessionis de matrimonio ponit ceu principium et fundamentum suarum definitionum, matrimonium esse sacramentum et deinde definit in canonibus 3^o et 4^o Ecclesiam posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia.

106. Quam definitionem Pistorienses explicantes de potestate Ecclesiæ non *originaria sed derivata* a civili auctoritate condemnavit Pius VI. in Constitut. Dogmatica '*Auctorem fidei*' in censura propositionis LIX., scilicet hanc propositionem, in qua Synodus Pistoriensis docuerat potestatem Ecclesiæ in statuendis impedimentis non esse originariam, condemnavit ceu eversivam canonum 3. 4. 9. et 12. tridentinorum sess. 24. et ceu propositionem hæreticam.

107. Nihil ergo poterunt principes laici in matrimoniis suorum subditorum?*)

Nemo unquam id dixit, sed quoniam matrimonium non est solum in officium naturæ et sacramentum sed est etiam in officium communitatis, hinc lege etiam civili regi potest. Verum leges civiles non possunt reddere invalidum contractum conjugii, quod juxta leges Ecclesiæ initum est. Nec proinde possunt uti illegitimam habere prolem, quæ ex eodem matrimonio nascatur. Legitimitas enim filiorum est effectus inseparabilis matrimonii valide contracti, nec catholici possunt retinere uti validum conjugium juxta leges sæcularis principis initum a fidelibus contra dispositiones substantiales Ecclesiæ.

108. At primo loco admittimus posse principes laicos exigere, ut matrimonia in libris publicis status adnotentur, ad habendam probationem legalem eorundem. Insuper possunt principes condiciones matrimonio apponere quæ tamen solummodo afficiant effectus civiles. Possunt videlicet arcere a successione hæreditariis filios enatos ex matrimonio inito, spretis legibus status. Possunt leges ferre, quæ respiciunt dotem vel privilegia civilia contrahentium. Verum nullitas vel validitas contractus matrimonialis ab Ecclesiæ potestate semper pendeat, quia ipse legitimus contractus est sacramentum.

*) De potestate principum quoad matrimonia infidelium, vide Jus publicum ecclesiasticum Felicis Cavagnis, Romæ editum ann. 1883. lib. 4. num. 176. et seqq.